

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Dissertatio Exegetico-Critica Exhibens Vindicias
Integritatis S. Scripturae Qvo Ad Locvm Vexatissimvm 2.
Chron. XXII, 1.2 De Annis Ahasiae**

Consentiente Venerando Theologorum Ordine - A. D. Jvnii A. R. S. MDCCL
... Pvblice Tvebitvr

Lilienthal, Theodor Christoph Lilienthal, Theodor Christoph

Regiomonti, MDCCL

VD18 90565037

§. VI.

urn:nbn:de:gbv:45:1-15087

est? Quam iniuria autem haec in certitudinem Hermeneuticam sit sententia, nemo non videt.

§. VI.

Proclivis quidem primo obtuitu videtur literae Δ in Δ permutatio, quum addita vna accidere potuerit lineola; si modo vlllo probari posset idoneo argumento, Hebraeos olim numeros per alphabeti litteras scripsisse. Refragantur vero omnes quotquot exstant codices vetustissimi (*): qui ad primam quidem non assurgunt antiquitatem; summam tamen Iudaeorum industriam circa textum sacrum aperte loquuntur, dum in exprimendo eodem vbique sensu mirum in modum conspirent. Nec tacuissent Masorethae, si maioris securitatis ergo a pristino vsu numeros per litteras designandi recessissent. Vnde in propatulo est, hoc scribendi compendium longe recentius esse. Et si etiamnum in actis publicis, chirographis, contractibus aliisque id genus scriptis, fraudis vitandae causa, numeri integris vocibus exprimuntur: nonne idem obseruasse censendi sunt Scriptores sacri, quorum libri ad seram posteritatem erant propagandi? Caeterum versionum quorundam auctoritas, contra vnanimem omnium textus Hebraici codicum consensum nihil valet: tum quia salua vniuersali quam defendimus textus Hebraei integritate, vnum vel alterum exemplar, ad quod forsan efformata est versio, mendis laborare potuit; tum ob multo faciliorem versionum quam textus authenticici deprauationem, quae in Septuagintavirali translatione luce meridiana clarior est. Syriacae speciatim et Arabicae versionis tanta non est auctoritas, vt maior eidem fides habenda sit, quam Hebraeo quem nunc habemus textui. Illa licet ex ipsis fontibus hausta sit, in multis tamen locis propius accedit ad Versionem 7^{av} LXX. haec vero maximam partem ex Syriaca, vel ex ipsa V. T. graeca Versione desumpta est (**). Quum igitur pauciores saltim Versionis Septuagintaviralis codices in nostro loco XXII. annos Achasiae numerent, vnde idem probabiliter numerus in versionem Syriacam et Arabicam irrepsit: num hoc argumentum sufficiat ad probandam Codicis S. in praesenti loco corruptionem, aequi rerum iudicent aestimatores.



(*) Ingenue hoc fatetur ipse RICH. SIMONIUS *Histoire Critique du vieux Testament Lib. I. Cap. 23. p. 130. a. Je sçai inquit, que quelquesunes prétendent, que les Copistes ont mis une lettre pour une autre, et que de là est venue la difference des nombres; parce que les Hebreux aussi-bien que les Grecs, n'ont pas eu d'autres chiffres que leurs lettres: mais les Juifs écrivoient dans le Texte de la Bible les nombres selon toute l'étendue des mots, et non pas par chiffres ou par lettres, et il y a de l'apparence, qu'ils n'ont point varié en cela. Consentit HUG. GROTIUS ad Marc. XV. 25.*

(**) Conf. Cel. IOH. GOTTL. CARPZOVII *Critic. Sacr. Part. II. Cap. 5. p. 625. 645.*

§. VII.

Nec adeo inextricabilis est nodus de annis Achasiae, ut veluti Gordius secari debeat, per concessam aliqualem textus sacri corruptionem. Dudum Eruditi commodam instituere tentarunt conciliationem locorum 2. Reg. VIII. 26. et 2. Chron. XXII. 2. apparenter inter se pugnantium (*). Fateor non pari successu hoc praestitum esse ab omnibus, explicationesque tantum non omnes suis adhuc laborare difficultatibus haud exiguis. Quum tamen excogitata tandem sit noua nodi huius solutio, quae omnibus fere dubiis ex asse satisfacit: eam praesenti dissertatione ulterius stabilire, et ea quae eidem adhuc obstare videbantur remouere, in animum induxi; lustratis in antecessum caeteris hypothesebus, non quidem omnibus, sed illis modo, quae quadam se commendant probabilitate.

(*) Ut alios taceam, qui vel in Commentariis suis, vel data occasione hanc difficultatem tetigerunt, quos in diuersarum sententiarum recensione nominabo: ex professo locum hunc vexatissimum illustrarunt IOH. MEYERUS in *Annot. ad Seder Olam p. 919.* IOH. ZYTHOPAEUS in *Nodo Gordio Script. S. enodato Lubec 688.* IO. IOACH. SCHROEDER in *Diss. de annis Achasiae Iudaeorum Regis Lips. 715.* HENR. GOTTL. REIME in *Diss. Achasiae aetate non maior patre Foramo. Jen. 714.* IOH. MARCKIUS in *Sylloge Dissert. in V. T. p. 62.* SINCERUS PISTOPHILUS in *der Erläuterung schwerer Schriftstellen. T. II. p. 61.* ADAM GOTTL. KERZIG in *den neuen Exegetischen Versuchen p. 131.* Sed quum omnes hi dubiis nondum satisfecerint; nostra forsitan opella superflua non videbitur.

§. VIII.

Eorum primo loco considerata venit sententia, qui annos XLII. quorum in nostro loco mentio fit ipsi Achasiae tribuere nolunt. Quum enim

·AI (*)

enim

